

offensa: ergo nec potest illam mereri de condigno, dum illam meretur simul cum gratia. Maior probatur: nam, facta collatione inter duas partes alicuius premij, illa debet perse primò & principalius intendi à merente, quæ secundum se & præcisivè est maioris æstimabilitatis & valoris; & ita si iustus intenderet mereri de condigno lumen gloriæ, & vniõnem essentia divinæ per modum speciei, terminus perse primò & principalius intentus esset prædicta vniõ, quamvis sit terminus secundarius in esse physico; sed remissio offensæ secundum se superat infinite in valore gratiam secundum se: ergo est terminus perse primò & principalior meriti. Nec ex dictis sequitur, vt sibi persuadet Godoy, quòd gratia secundum se danda peccatori habeat infinitas vires, & possit opera iusti infinite condignificare, vt videbimus in solutione argumentorum.

§. II.

Secunda assertio contra secundam sententiam.

119 **D**icendum est secundò, purum hominem iustum posse de potentia absoluta mereri de condigno non peccatori primam gratiam habitualem. Hæc assertio procedit contra Authores relatos pro secunda sententia. Et probatur ratione satis efficaci: nam non repugnat, purum hominem iustum mereri de condigno non peccatori primam gratiam habitualem ex defectu valoris æqualis intrinseci, nec ex defectu ordinationis efficaciæ ad illam: ergo non repugnat, purum hominem iustum mereri de condigno non peccatori primam gratiam habitualem. Probatur antecedens quoad primam partem, ex qua pender probatio posterioris: tum quia gratia non peccatori danda adæquate sumpta est simpliciter finita tam in esse physico, quam in esse morali, cum in non peccatore non præter aliquem effectum formalem adhuc in esse morali simpliciter infinitum, v. g. remissionem offensæ; sed eo ipso non repugnat, hominem purum, sed iustum elicere opus æqualis valoris cum illa, cum aliunde sint eiusdem ordinis: ergo ex defectu valoris æqualis intrinseci non repugnat, hominem purum iustum mereri de condigno non peccatori primam gratiam habitualem. Tum etiam: nam supposito, quòd gratia non afferat remissionem offensæ, non est maioris valoris & æstimabilitatis, quam augmentum ipsius; sed actus vnius iusti potest esse æqualis valoris cum augmento gratiæ alterius: quia potest esse quoad se æqualis valoris cum actu intensiori alterius: ergo idem quod prius.

Probatur idem antecedens quoad posteriorem partem: nam ex nullo capite repugnat,

quòd Deus cum Petro sic pacificatur, *Paulo non peccatori intuitu meriti tui vt centum conferam gratiam habitualem, vt unum, & quòd Petrus suum meritum ordinat ad prædictum præmium: ergo nec ex defectu ordinationis efficaciæ repugnat, quòd homo purus, & iustus mereatur alteri non peccatori primam gratiam.* Antecedens probatur: tum ex D. Thom. 3. part. quest. 64. art. 4. vbi docet, quòd potestas capitis collata Christo in quantum homini potuit puræ creaturæ communicari, & sic ait: *Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus.* Tum etiam: nam non repugnat, Deum pacisci cum Petro, vel vt super premium Dominum, vel consentiente ipso Petro, quòd si tale opus ex se condignum exerceat, conferet Paulus intuitu illius augmentum gratiæ, & gloriæ, vel ostendant aduersarij, vnde hoc pactum repugnet stante supremo dominio Dei, & iusto non potente mereri à Deo aliquid de condigno, nisi interveniente pacto: ergo idem quod prius. Tum denique: nam hoc pactum in humanis non repugnat: ergo nec inter Deum, & hominem relate ad alium. *Adde:* Nam iuxta præsentem providentiam non repugnat inter Deum, & hominem huiusmodi pactum, itaut merens alteri defraudetur premio accidentali: ergo per potentiam Dei absolutam non repugnat tale pactum, etò merens privetur premio essentiali ei tantum in actu primo debito. Pater consequentia: tum quia id, quòd facit suavis providentia Dei in ordine ad præmium accidentale, potest facere in ordine ad præmium essentielle supremum dominium Dei, ratione cuius nostris operibus suapte natura nullum præmium est debitum, & propterea debet accedere pactum Dei. Tum etiam: quia propter ingentem illam charitatem, qua iustus vellet se privare premio essentiali debito præcisè in actu primo merito posteriori, sicut dignus eminentiori premio.

120 **H**ac ratione tot probationibus fulcitate facile evanescunt nonnullæ evasiones aduersariorum. Respondent ergo primò, negando æqualem valorem in merito vnius cum gratia danda adhuc non peccatori ex duplici motivo: tum quia, vt docet D. Thom. 1. part. quest. 20. art. 4. ad 4. *Æquale donum gratiæ plus est comparatum penitenti, qui meruit penam, quam innocenti, qui non meruit:* & proportionem servata, maius donum est conferri non digno, quam digno: quia gratia danda non peccatori, vt pote non digno, & non amico Dei, est maior in æstimatione morali, quam meritum puræ creaturæ, etiam si sit in gratia Dei. Tum etiam: quia gratia prima habituaalis, quamvis sit simpliciter finita, in esse morali est simpliciter infinita, cum ex se sit remissiva offensæ, & de matre-

ria-

teriali censetur, quòd actu remittat illam, vel non remittat, ad hoc vt sit valoris, & æstimabilitatis infinitæ, ad quòd sufficit, quòd in actu primo contineat remissionem illius.

Sed hæc evasio ex nullo ex prædictis motivis satisficit. Non ex primo: nam licet gratia conferenda non amico, cæteris paribus, sit maior in ratione gratiæ, doni, & beneficij, quam si conferretur amico, excessus tamen illius est simpliciter finitus; ideoque non repugnat illum hominem, postquam est amicus Dei per gratiam, satisfacere Deo ad æqualitatem per gratiarum actionem ex hoc tantum motivo, sicut potest maiora dona promereri de condigno: ergo valor meritorum iusti potest ita crescere, vt adæquet, & superet illum excessum. *Adde:* Nam incredibile est, quòd B. Virgo suis meritis non valeat adæquare minimam gratiam, etiam secundum excessum quem dicit supra se ipsam in ratione beneficij, si finitus est: ergo idem quòd prius. Nec ex secundo, propter dicenda in assertione sequenti.

121 Respondent secundò, permittendo quòd implicatio puro homini conveniens ad merendum alijs primam gratiam non nascatur ex defectu valoris, oritur tamen ex defectu ordinationis efficaciæ in merito vnius in gratiam alteri dandam: tum quia gratia est semen gloriæ conferendæ præcisè proprio subiecto, & solum in ordine ad illam potest opera sua ordinare efficaciter, & non ad gratiam, & gloriam alterius. Tum etiam: quia præmium essentialiter petit conferri merenti.

Nec hæc evasio ex utroque capite satisficit. Non ex primo: quia gratia non solum est semen physicum gloriæ, sed etiam est semen morale illius; sed etò repugnat, quòd gratia vnius sit semen physicum gloriæ alteri conferendæ, ex nullo capite repugnat, quòd sit semen morale illius: vel ostendant aduersarij, vnde hoc repugnet: ergo. ¶ Dicere autem, quòd si nequit esse semen physicum, nec potest esse semen morale, cum esse morale fundetur in esse physico, non videt. Tum quia gratia habituaalis Christi Domini est semen morale gloriæ nobis conferendæ: & si etiam est physicum, non est vnde hoc repugnet gratiæ puri hominis. ¶ Nec obest, quòd gratia Christi in esse morali est simpliciter infinita, & propterea potest esse semen morale ad quodcumque præmium alijs conferendum, secus verò gratia nostra. Non, inquam, obest: Et quia, permilla sententia Scoti, adhuc est semen morale: Et quia ex limitatione gratiæ nostræ solum potest inferri, quòd non sit semen premij simpliciter infiniti, secus verò premij simpliciter finiti. Tum etiam: quia defacto est semen morale gratiæ, & gloriæ alijs conferendæ, cum illam mereri possit de congruo, maxime si adsit pactum, & possit de con-

digno mereri satisfactionem, & remissionem peccati venialis: ergo potest de potentia absoluta esse semen morale eliciens meritum de condigno gratiæ, & gloriæ alteri conferendæ.

122 **N**ec ex secundo: tum quia bona amicorum sunt communia, & hac de causa docet D. Thom. vnum iustum posse alteri mereri de congruo primam gratiam, & alia dona; sed hoc supposito non repugnat pactum inter Deum, & hominem, ratione cuius sit Deo, & puro homini gratum, quòd præmium huius alijs debendum intuitu operis meritorij illius alteri conferatur: ergo non repugnat, præmium conferri vni intuitu meriti alterius. *Tum etiam:* Nam hoc in humanis non repugnat: ergo multò minus inter Deum, & hominem, propter supremum dominium Dei supra omnes operationes nostras, & quia deficiente pacto homo nihil sibi meretur de condigno apud Deum. *Tum præterea:* Nam meritum nostrum non petit esse vile præmianti, sed satis est, quòd fiat in eius obsequium interveniente pacto, & sit ei gratum tam ipsam merentem, quam præmium vt conferendum merenti: ergo nec præmium petit essentialiter esse bonum merenti, sed sufficit, quòd sit gratum ei, & præmianti, intercedente pacto vt alteri conferatur, quòd si adesset, non opus esset miraculo ad ita merendum, sed iuxta providentiam communem posset vnus homo alteri mereri de condigno primam gratiam.

§. III.

Tertia assertio arriens tertia sententia.

123 **D**icendum est tertio, non ex repugnantia iustum mereri de condigno peccatori gratiam secundum se. Ita NN. Salm. loco supra relato num. 37. tract. 19. disp. 5. num. 61. & tract. 21. disp. 1. num. 143. Et probatur ratione: nam gratia secundum se, & præcisivè accepta, non est æstimabilitatis simpliciter infinitæ: aliàs non repugnat pactum ex parte Dei: ergo non repugnat purum hominem mereri de condigno peccatori primam gratiam secundum se. Minor constat: nam quamvis Deus nequeat obligari ad conferendam gloriam peccatori, quin obligatus, maneat ad remissionem offensæ; non tamen repugnat, quòd Deus gratiosè pacificetur cum homine se iustificaturum esse peccatorem, si eliciat tale opus, ita quòd remissio offensæ sit liberalis, dependens tamen à tali opere, sicut à sola conditione, & gratia ipsa præcisivè sumpta dependeat velut à merito æquali & condigno. Connexio enim inter has formalitates non obest prædicto pacto, vt in simili ostendemus dub. 9. Maior verò probatur: nam gratia peccatori danda solum ex-

pli-

plicat infinitam estimabilitatem prout importat defectum remissionem offensae, ut liquet ex dictis §. praec. ergo sublata, vel praecisa remissione offensae, non est estimabilitatis simpliciter infinita.

124. Respondebis satis esse, quod defectus inferat remissionem offensae, ut tota, & secundum omnes suas partes sit estimabilitatis simpliciter infinita.

Contra est. Nam quod gratia inferat defectum remissionem offensae, & cum ea connectatur, non arguit valorem simpliciter infinitum in ipsa gratia secundum se, seu praecisive, aut specificative sumpta: ergo gratia danda peccatori praecisive sumpta non est estimabilitatis simpliciter infinita. Antecedens probatur nonnullis exemplis: tum quia, quod materiale peccati inferat essentialiter formalitatem peccati, & cum ea connectatur, non arguit, quod materiale peccati non contineatur intra influxum persae & positivum Dei, est formalitas peccati non contineatur intra vltimum influxum illius: ergo pariter, est remissio offensae sit estimabilitatis simpliciter infinita, & propter hanc rationem non contineatur intra limites meriti condigni purae creaturae, non sequitur, quod gratia, cum qua est connexa, non contineatur intra limites meriti condigni illius. Patet consequentia: quia maior connexio datur inter materiale peccati, & formale illius, quam inter gratiam, & remissionem offensae, quia materiale peccati nunquam separatur, nec distinguitur realiter a formali illius; & remissio offensae separatur, & distinguitur a gratia, ut liquet in Angelis, Adamo, & B. Virgine.

Tum etiam: Quia calor ut septem, quia connectitur necessario cum substantia, ut est vltima dispositio antecedens illius, nequit ut inferens illam produci principaliter ab vltimo accidenti; & tamen hoc non obstat ad hoc, ut possit ab eo produci principaliter, si consideretur secundum se & specificative, ut docent NN. Complut. abbrev. in Physic. disp. 10. num. 16. ergo licet meritum purae creaturae non sit aequalis valoris cum gratia reduplicative ut connexa cum offensae, non sequitur, quod non sit talis considerata secundum se.

Tum praeterea: Nam non minus connectitur lumen gloriae cum vnione essentiae divinae per modum speciei, & visio beata cum ipsa per modum verbi, quam gratia cum remissione offensae; sed iustus defectus meretur de condigno lumen gloriae, & visionem beatam, & non vnionem essentiae divinae sive per modum speciei, sive per modum verbi: iuxta dicta num. 6. ergo etiam iustus potest de condigno mereri peccatori primam gratiam secundum se, quin possit mereri remissionem offensae.

Tum deinde: B. Virgo potuit mereri de condigno maternitatem Dei, ut docent cum

Suario NN. perdocti Salm. tract. 21. disp. 7. num. 75. quin potuerit mereri de condigno filii sui incarnationem; & tamen sunt essentialiter connexa inter se: ergo.

Tum denique: Nam privatio gratiae, prout est poena peccati mortalis, non est simpliciter infinita, aut physice, aut moraliter, est ex tali privatione, prout habet rationem maculae, inferatur offensae simpliciter infinita: ergo ipsa gratia inferens remissionem offensae specificative sumpta non est praemium simpliciter infinitum adhuc moraliter. Antecedens est certum, iuxta dicta tract. de Peccatis disp. 3. a num. 18. Et consequentia a paritate constat: quia contrario-rum eadem est ratio.

Urgetur hoc: Non obstanti quod peccatum grave inferat essentialiter offensam infinitam simpliciter, non est simpliciter infinitum in ratione culpae, aut in ratione demeriti, ut loco allegato probavimus: ergo meritum terminatum ad gratiam inferentem remissionem offensae non erit simpliciter infinitum.

125. Objicies: Nam ex dictis sequitur, quod gratia adhuc ut reduplicative inferat remissionem offensae, & illam dici de connotato possit cadere sub merito de condigno, ut patet in merito maternitatis Deiparae, quae adhuc ut connexa potest cadere sub merito condigno ipsius, & peccatum ut connexum cum offensae non est simpliciter infinitum nec ratione malitiae, nec in ratione demeriti: sed hoc est falsum, ut liquet in exemplo materialis peccati, quod ut connexum & illativum formalis malitiae nequit a Deo causari, nec accidens potest principaliter produci vltimam dispositionem ut inferentem substantiam: ergo nec iustus potest peccatori mereri de condigno gratiam nec ut connexam, nec secundum se.

Ad hanc obiectionem respondetur, nihil ex ea convinci contra hanc tertiam assertionem: siquidem in ea tantum asseritur, gratiam peccatori dandam consideratam secundum se & specificative posse cadere sub merito de condigno hominis puri; ad hoc autem parum, aut nihil refert, quod non possit cadere sub tali merito reduplicative sumpta, & ut inferat remissionem offensae, ut rem hanc aperte persuadent non solum exempla omnia relata, sed alia innumera, quae sensum reduplicativum & specificativum concertant.

Sed ne res se melius tracta absque omni pro-fus luce, & decisione remaneat, respondetur notando tria. Primum est, formas connexas cum alijs rebus esse in duplici differentia. Nam alia ita sunt connexa, quod simul sint causa earum rerum, cum quibus sunt connexa; & haec, ut connexae, gaudent ad sui productionem sive physicam, sive moralem aequali contentia, aut estimabilitate, ac ipsa res, cum quibus sunt connexa. Et huius generis est materiale peccati, quod

quod est connexum cum formali malitia, simulque illativum illius: & propterea, licet Deus causet materiale peccati secundum se, non tamen ut connexum cum malitia formali, alias Deus esset causa formalis malitiae. Eiusdem generis est dispositio vltima ad formam substantialem: ideoque est accidens possit producere physice principaliter eam secundum se, non tamen potest producere principaliter illam, ut vltima dispositio est, seu ut est illativa substantiae, quia non potest hoc modo producere ipsam substantiam. Et si Deus amat omnipotentiam, prout est illativa creaturarum possibilitium, & non ipsas possibiles creaturas, ideo est, quia haec nulla gaudent bonitate. Aliae sunt formae, quae praecise sunt connexae cum alijs rebus, sed non sunt causae earum: & haec non gaudent in vtraque linea eadem estimabilitate, aut contentia, ac ipsae res cum quibus sunt connexae. Et huius generis est maternitas Deiparae connexa cum incarnatione, lumen gloriae connexum cum essentia divina per modum speciei, & visio beata connexa cum eadem essentia divina per modum verbi.

Secundum est, non sufficere ad hoc, ut forma sive in linea physica, sive in linea morali gaudeat eadem contentia, gravitate, aut estimabilitate, quod sit causa illius rei, cum qua est connexa; sed vltimus requiritur, quod sit causa directa illius, & ipsa res sit terminus positivus: si enim est terminus, seu effectus indirectus & privativus, potest ipse terminus esse gravitatis infinitae, est ipsa causa sit gravitatis finita, adhuc ut connexa. Et ad hunc modum est offensae passiva gravis Dei, quae consistit in privatione morali vltimi finis, estque effectus indirectus peccati mortalis, & propterea peccatum mortale nec in ratione malitiae, nec in ratione demeriti est infinitum simpliciter adhuc ut connexum, quamvis offensae passiva sit infinita simpliciter. Et ad eundem modum privatio vnionis hypostaticae factae ad humanitatem est effectus privativus, & indirectus actionis occidentium Christum, cuius terminus immediatus fuit privatio vnionis vitae naturalis, & adhuc immediatus fuit forma cadaverica. Pro quo videantur NN. Salmant. de incarnatione disp. 1. num. 22.

Tertium est, offensam passivam gravem Dei posse sumi dupliciter: vel pro actu ipso odij seu displicentiae divinae, quo fertur contra iniuriam, ut ipsi Deo in affectu illatam, & eam detestatur, & quo Deus dicitur peccatori insensu, seu inimicus; vel pro ipsa offensae passiva illata in estimatione prudentem per actum peccati. Offensa primo modo considerata tollitur formaliter per actum, quo Deus producit gratiam, & hominem per eam ad suam amicitiam reducit. Posteriori autem modo accepta tollitur directe per gratiam, quatenus radice fati-

factionem formalem, & conversionem actualem in Deum vltimum finem, quae formaliter expellitur avertio ab eodem vltimo fine, in qua fundatur, & a qua resultat tota ratio offensae. Et in hoc sensu NN. Salm. tam in praesenti disp. 6. dub. 2. praesertim num. 61. & tract. de Prad. disp. 5. num. 171. frequenter docent, quod gratia est fundamentum remissionis offensae.

Ex his iam constat ad obiectionem, ad quam respondetur negando maiorem. Nam ex supra dictis in primo, & tertio notabili satis liquet disparitas inter maternitatem Deiparae ut connexam cum incarnatione, & gratiam ut connexam cum remissione offensae: illa enim nullum influxum praestat in incarnationem, sed tantum comeditur cum ea, tanquam cum puro termino extrinseco; at gratia concurrit effecti-ve moraliter ad remissionem offensae. Et ex dictis in secundo notabili constat etiam disparitas inter peccatum mortale ut connexum cum offensae, & gratiam ut connexam cum remissione offensae. Nam peccatum mortale, licet inferat moraliter offensam passivam Dei, tantum inferat illam indirecte, & tanquam terminum privativum, ac propterea non oportet, ut gaudeat tanta gravitate, ac ipsa offensae passiva. Certum remissio offensae est effectus moralis directus & positivus gratiae: quia cum offensae sit privatio, debet esse quid positivum non esse illius, cum duplex negatio asseritur; & propterea gratia, ut connexa cum remissione offensae, debet gaudere estimabilitate, quae gaudet ipsa remissio.

§. IV.

Argumenta contra primam, & secundam assertionem.

126. **A**dversus primam assertionem arguitur primo cum Godoy loco relato num. 52. ex Div. Thom. 3. part. quaest. 64. art. 4. ubi distinguens in Christo duplicem potestatem, aliam authoritatis convenientem illi ut Deo, & alteram excellentiae convenientem illi ut homini, & negans primam posse communicari purae creaturae, de secunda subdit: *Et talem potestatem potius ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiae plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus.* Ubi Div. Thom. concedit potuisse Deum de potentia absoluta, & in hac providentia peccati conferre puro homini potestatem ad merendum effectus sacramentorum, inter quos est gratia cum remissione offensae: quod fieret intercedente patre inter Deum, & hominem, ut loco augmenti gratiae, & gloriae sibi conferendae ob meriti

tum illius daretur alteri homini peccatori gratia remittens peccatum.

Nec prodest recursus ad meritum de congruo. Tum quia ad merendam de congruo alijs gratiam cum remissione offense, tanta plenitudo gratia, quam innuit D. Thom. necessaria non est, cum multi alijs illam defacto hoc modo mererint. *Tum etiam*: Quia Div. Thom. loquitur de merito nulli purae creaturae concessio; sed defacto B. Virgo meruit de congruo omnibus hominibus gratiam cum remissione offense: ergo loquitur de merito condigno. *Tum denique*: Nam potestas excellentiae, qua Christus meruit nobis gratiam cum remissione offense, potuit iuxta D. Thom. communicari purae creaturae; sed Christus ratione illius meruit nobis de condigno gratiam, & remissionem offense: ergo haec potestas potuit purae creaturae communicari. ¶ Adde: Nam D. Thom. negat potestatem autoritatis esse communicabilem purae creaturae, & concedit esse communicabilem potestatem excellentiae; sed hoc nequit convenienter exponi de potestate excellentiae ad merendum de congruo, quo pacto dicit tantum convenientiam analogam cum potestate Christi; siquidem hoc modo etiam potestas autoritatis potest communicari, cum potestas excellentiae communicata Christo ut homini, & communicabilis purae creaturae analogice conveniat cum potestate autoritatis: ergo debet intelligi de potestate excellentiae ad merendum de condigno.

Et argumentum, quod praecipuum vocat Godoy num. 71. & quod facilem solutionem non habet num. 53. Sed imprimis potest adversus ipsum retorqueri: siquidem si potestas excellentiae ad merendum, quam habuit Christus posset vniuerso communicari purae creaturae, etiam posset communicari potestas ad satisfaciendum de condigno pro offensa, hanc enim habuit Christus; sed hoc non concedit Godoy: ergo nec ex contextu praedicti testimonij debet interre, quod potestas Christi ad merendum vniuerso potest communicari purae creaturae.

127 Respondetur ergo sustinendo solutionem inter argumentum insinuatam. Contra quam nulla replica videtur. Pro quarum enodatione exactiori opus est vitare quandam aequivocationem, in qua procedunt. Ad quod nota, potestatem excellentiae, de qua D. Thom. non consistere praecise in potestate merendi, sed in alijs prerogativis, quas D. Thom. recenset art. 3. proxime praeced. inter quas vna est, quod gratia conferatur ad invocationem nominis illius, qui talem potestatem habet: secunda, quod nomine eius sacramenta sanctificentur, ad quos effectus concurrat meritum illius: tertia, quod habeat potestatem instituendi sacramenta: quarta, quod effectum sacramentorum confer-

re possit sine illis vel meritorie, vel physice instrumentaliter. Ex his facile constat ad replicas.

Ad primam enim responderetur, quod licet ad merendum praecise de congruo non esset necessaria tanta plenitudo, quantum innuit D. Thomas; ad fundandam tamen potestatem cum tot prerogativis, congruum saltem erat, ut ministro plenitudo gratiae conferretur. Videatur D. Thom. loco in argument. allegato, ubi ad conferendam potestatem excellentiae non sinit praecise in merito, sed ad prerogativas, & condiciones proxime relatas statim progreditur. ¶ Ad secundam responderetur, quod licet B. Virgo meruerit de congruo alijs hominibus gratiam cum remissione offense, non habuit potestatem excellentiae cum conditionibus enumeratis: & sic nihil contra nos.

Ad vltimam responderetur, non opus esse ad salvandam propositionem D. Thom. quod si Christus habuit potestatem excellentiae ad merendum de condigno, etiam purus homo hanc potestatem habeat eodem modo quoad hunc effectum, sed satis est, si illam habeat vniuerso quoad alias condiciones ex enumeratis, ut potest habere, licet analogice conveniat quoad effectum merendi: quia sic verificatur, quod eadem potestas Christi communicaretur adaequate, sed quoad singulos effectus proportionate servata, & iuxta capacitatem purae creaturae ad illos.

Additamentum nullius momenti est, tum propter dicta: tum, quia potestas excellentiae, qua communicaretur purae creaturae, & communicata fuit Christo Domino solum convenit analogice cum potestate autoritatis in ratione potestatis. Ceterum potestas purae creaturae conveniret etiam vniuerso quoad aliquos effectus cum potestate excellentiae Christi in ratione talis potestatis, nempe excellentiae.

128 Secundò potest responderi argumento iuxta dicta §. 3. quod puro homini potuit communicari potestas excellentiae, quam habuit Christus ad merendum de condigno gratiam remissivam peccati, non adaequate sumptam, & secundum totum quod importat, sed inadaequate, & prout praecidit à remissione offense: hanc autem potestatem nulla purae creatura hucusque habuit, nec habebit. Et hoc satis est ad salvandam doctrinam D. Thom. ad cuius veritatem non opus est, quod si Christus meruit de condigno gratiam, & remissionem offense, vel omnes effectus sacramentorum, etiam pura creatura omnes illos mereatur de condigno. Sicut non opus est, quod si Christus habuit meritum simpliciter infinitum, & potuit de condigno satisfacere pro offensa, etiam purus homo, habens potestatem Christi, habeat meritum simpliciter infinitum, & possit de condigno satisfacere pro offensa, ut concedunt adversarij

farij. Sufficit ergo, quod purus homo possit mereri de condigno gratiam remissivam offense praecive sumptam, & remissionem offense de congruo, & quod habeat caeteras condiciones enumeratas, ut dicatur posse ei communicari excellentiam Christi. Ad alia argumenta, quae possunt efformari, iam constat ex dictis tribus §§. praecedentibus.

129 Arguitur secundò, & procedit contra secundam assertionem, nonnullis testimonijs. Primum desumitur ex Papa Adriano in epist. ad Episcopos Hispaniae, ubi loquens de Christo sic ait: *Sicut peccata non tolleret, si ipse peccata haberet, ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si: : necessarium habuerit, ut gratiam adoptionis acciperet*; sed homo purus indiget gratiam adoptionis habere ad merendum de condigno homini non peccatori gratiam habitalem: ergo ex mente Pontificis nullus purus homo potest de condigno alteri mereri primam gratiam.

Secundum deprobitur ex Div. Thom. 3. part. quaest. 8. art. 6. ubi ait: *Interior influxus gratiae non est ab aliquo, nisi à solo Christo, cuius humanitas ex hoc, quod divinitati fuit coniuncta, habet virtutem iustificandis*; sed quod convenit humanitati Christi ex coniunctione ad verbum, nulli purae creaturae potest convenire: ergo influere in alios gratiam iustificantem repugnat de potentia Dei absoluta purae creaturae. Quibus accedere possunt duo alia testimonia Ang. Praecept. desumpta ex 2. Sent. dist. 27. quaest. 1. art. 6. & ex 4. dist. 45. quaest. 2. art. 1. quaest. 1. ubi docet nullum posse alteri mereri gratiam, & beatitudinem constituentem statum, nisi habeat tantam plenitudinem gratiae, qualis fuit in Christo, quae repugnat purae creaturae.

Ad testimonium Adriani responderetur, sensum illius esse valde diversum ab eo, quem intendunt adversarij. Et colligitur ex eo, quia gratia habitualis etiam fuit necessaria in Christo adhuc de potentia absoluta ad merendum nobis de condigno gratiam habitalem. Mens ergo illius est, quod per gratiam praecise adoptionis nullus potest mereri de condigno gratiam adoptionis tollentem peccata: & hoc verissimum est, & à nobis stabilitum pro assertionem. ¶ Eodem modo exponendus est D. Thom. quia in loco relato ex 3. part. loquitur de interiori influxu gratiae cum ea excellentia, & vniuersalitate, quibus fuit in Christo: & hoc modo nulli purae creaturae potest communicari, sicut nullus praeter Christum, propter coniunctionem humanitatis cum Verbo, potest de condigno satisfacere pro offensa gravi Dei. Alia testimonia, quae insinuantur ex libris Sent. solum procedunt secundum praesentem providentiam, ut legenti constabit.

130 Arguitur tertio, & erit in favorem Tom. III. Part. Theol. Salm.

eiusdem sententiae: Nam si purus homo possit de condigno alijs mereri gratiam iustificantem, B. Virgo defacto illam meruisset de condigno saltem alicui, licet non vt remissivam offense, sed praecive sumptam; sed hoc nullus admittit: ergo signum est, quod pura creatura adhuc de potentia absoluta non potest de condigno alijs mereri primam gratiam. Maior probatur: nam imprimis gratia remissiva peccati, si consideretur secundum se, est eiusdem rationis cum gratia possibilibus non remittente defacto peccata, & propter hanc rationem asseruimus in tertia assertionem cadere sub merito condigno purae creaturae, & non excedere illud in valore. Kursus non potest rationabiliter negari, quod facta fuit a Deo B. Virginis aliqua promissio vel explicita, vel implicita de salute aliquorum propter eius merita, sicut legitur de alijs sanctis, & de antiquis Patribus docet D. Thom. 3. ad Annib. dist. 4. quaest. vnic. art. 4. quod Deus disposuerat, ut eorum meritis, & praecibus fieret acceleratio incarnationis, qua supposita habent infallibilem connexionem cum praemio; sed nihil aliud requiritur ad meritum condignum: ergo si purus homo potest de potentia absoluta mereri de condigno alteri primam gratiam, B. Virgo defacto illam meruit alicui, non vt remittentem offensam, sed secundum se.

Ad hoc argumentum (missis alijs, quia praecupata manent) responderetur negando sequelam maioris. Ad cuius probationem dicendum est, quod licet meritum B. Virginis sit aequalis valoris in actu primo cum gratia remissiva peccati, si secundum se considerentur; secus verò in actu secundo, & iuxta praesentem providentiam, non tantum ex defectu pacti, sed etiam ex defectu valoris intrinseci. Siquidem nullum fuit meritum B. Virginis, cui non corresponderet, ut praemium de condigno proportionatum, augmentum gratiae, & gloriae, ut sibi conferendum; & cum hoc non fiat, quod defacto mereatur de condigno alteri primam gratiam, & gloriam, & quod habeat condignitatem ad illam, quia eius vis exhauritur per praemium sibi collatum. Et licet concedamus aliquod pactum, seu promissionem à Deo illi factam, solum deservit ad hoc, ut aliquis consequeretur gratiam infallibiliter ex merito congruo: sicut ratione eiusdem promissionis facienti, quod est in se viribus gratiae, Deus infallibiliter confert gratiam. Alia ratio foret, si intercederet pactum inter B. Virginem, & Deum de conferenda alteri gratia loco praemij essentialis, quod illi defacto collatum est, quod possibile fuit: & in hoc sensu diximus puram creaturam posse de potentia absoluta alteri peccatori, vel non peccatori mereri primam gratiam secundum se.

**

Q 99

DU:

DUBIUM VIII.

An iustus possit sibi mereri reparationem post lapsum?

Supponimus, hominem iam lapsum in peccatum, & in sensu composito prædicti status non posse adhuc de potentia absoluta sive de condigno, sive de congruo sibi, vel alteri mereri reparationem post lapsum, & hoc supponit D. Thom. ex alijs articulis præcedentibus. Unde dum art. 7. hoc ipsum inquit, intelligendus est de homine iusto in sensu composito iusti.

Circa quam controversiam duplex est sententia. Prima docet iustum posse mereri sibi reparationem post lapsum. Ita D. Bon. in 2. dist. 28. in exposit. litteræ Gab. ibi dist. 27. quæst. 1. art. 3. dub. 3. Scotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 2. Vega de iustific. quæst. 6. ad 6. Bellarm. lib. 5 de iustific. cap. 2. Suarez lib. 12. de Gratiâ. cap. 38. & alij Recentiores, quos refert, & sequitur Ripalda disp. 95. sect. 2. conclus. 3. cum hoc tamen discrimine, quod Ripalda docet possibilitatem meriti de condigno; alij relati tantum concedunt meritum de congruo. Secunda tenet, iustum non posse sibi mereri de condigno, immo nec de congruo reparationem post lapsum. Ita NN. Salm. in præf. disp. 6. dub. 3. cum communi schola Thomistarum, aliisque pluribus. Et hanc amplectimur, & explanamus tribus assertionibus.

§. I.

Sententia D. Thomæ tribus assertionibus explicata.

Dicendum est primò, iustum defacto non mereri sibi de condigno reparationem post lapsum. Et colligitur ex illo Ezech. 18. vbi inquit: *Si auerterit se in iustus in iustitia sua, & fecerit iniquitatem: omnes iniquitates eius, quas fecerat, non recordabuntur*; sed hoc testimonium verificari non valet, si iustus defacto meretur sibi reparationem post lapsum: siquidem moueretur voluntas Dei ad remunerandum peccatorem ex iustitia propter iustitias præteritas: ergo iuxta Scripturam iustus defacto non meretur, nec mereri potest iuxta præsentem providentiam sibi reparationem post lapsum.

Idem colligitur ex Trident. sess. 6. vbi docet cum Apostolo, hominem iustificari gratis; hoc autem non esset, si, dum erat in gratia, mereretur sibi de condigno reparationem post lapsum: ergo defacto non illam meretur. Ex quibus NN. Salm. moti docent prædictam conclusionem esse de fide.

Et probatur ratione D. Thom. nam meritum de condigno dependet saltem iuxta præsentem providentiam à motione divinæ gratiæ; sed motio divinæ gratiæ non se extendit defacto ad reparationem post lapsum: ergo non sibi meretur de condigno reparationem post lapsum. Minor probatur: tum quia motio divinæ gratiæ, ut se extendat ad reparationem post lapsum, indiget pacto Dei; sed hoc non datur, sed potius communicationes oppositæ in Scriptura: ergo motio divinæ gratiæ non se extendit ad reparationem post lapsum. Tum etiam: nam motio divinæ gratiæ defacto non se extendit ad id, quod est contra naturalem existentiam rerum; sed est contra naturalem existentiam meriti, quod extendatur ad præmium, quando motio eius interrumpitur, ut in præsentibus contingit: ergo. Adde: Nam ridiculum foret meritum illius, qui diceret suo amico: *Facio tibi obsequium hoc ad merendum, ut postea me revocees ad hanc amicitiam, quam statim violabo aliam tibi insigendo.*

Et si dicas, ad meritum de condigno non esse necessarium, quòd gratia semper perseveret, sed sufficit, quòd reparetur cum illius motione: & ob hanc rationem iustus absolute meretur gloriam, quamvis post meritum gratiam amittat.

Nihil refert: tum quia hanc evasionem vidit D. Thom. & respondit ad 3. dicendo, quòd ad meritum condignum gloriæ solum requiritur perseverantia finalis per modum conditionis, & quòd motio illius tunc perseveret; sed motio meriti nequit perseverare usque ad reparationem post lapsum: ergo nequit proprie reparari, tamen si reparabilis sit motio meriti in ordine ad gloriam. Tum etiam: nam repugnat, saltem iuxta præsentem providentiam, quòd præmium debeat subiecto indigno antecedenter ad præmium; sed reparatio post lapsum supponit subiectum indignum illius, secus verò gloria, cum essentialiter supponat gratiam: ergo.

Dicendum est secundò, repugnare de potentia absoluta iustum sibi mereri de condigno reparationem post lapsum. Et probatur ratione: nam iustus non potest alteri peccatori mereri de condigno reparationem post lapsum, quia explicitè importat remotionem impedimentorum, & præcipuè offensæ, cuius remissionem nulla pura creatura potest mereri: ergo nec sibi potest mereri reparationem post lapsum. Antecedens supponitur ex dictis dub. præc. Et consequentia probatur: quia etiam importat explicitè remissionem offensæ. Tum & præcipuè: quia datur maior impropertio in ordine ad se, quam in ordine ad alterum; sicut maior impropertio datur dum ponitur impedimentum in eo, cui meretur, & in eo qui meretur, quam dum ponitur impedimentum in eo, cui meretur, & non in eo qui meretur: ergo si iustus

Dub. VIII. An iustus possit sibi mereri reparationem post lapsum?

iustus non potest mereri alteri de condigno reparationem, multominus potest sibi illam mereri.

Deinde probatur ratione D. Thom. in præcedenti assertionem insinuat: Nam implicat in terminis meritum de condigno, cui ab intrinseco repugnet efficax consequatio præmij; sed merito ordinat ad reparationem post lapsum ipsius merentis ab intrinseco repugnat efficax, consequatio illius: ergo implicat in terminis iustum sibi mereri de condigno reparationem post lapsum. Maior supponitur. Et minor probatur: tum quia meritum ordinatum ad reparationem post lapsum est tale, ut inter ipsum, & ipsam mediet essentialiter peccatum; sed peccatum tollit essentialiter efficaciam ad præmium, sicut essentialiter destruit gratiam, in qua omnis efficacia meriti fundatur: ergo repugnat merito iusti consequatio efficax iuxta reparationis post lapsum. Tum etiam (per quod præcedens probatio roboratur) nam merito mortificato, tempore quo conferendum est præmium, repugnat essentialiter efficacia in ordine ad illius consequationem, ut persè liquet; sed reparatio post lapsum essentialiter supponit meritum mortificatum per peccatum, tempore quo præmium conferendum est, cum reparatio ipsa ordinetur ad tollendum peccatum: ergo idem, quod prius. Tum præterea: nam meritum, cui repugnat ex iustitia consequatio præmij, nequit efficaciter influere in illud; atqui reparatio post lapsum nequit conferri ex iustitia propter meritum mortificatum per peccatum: siquidem subiectum merens, & præmiandum præsupponitur indignum, & nequit constitui dignum nisi per ipsum præmium: ergo. Tum denique: nam peccatum se habet in ordine ad meritum præcedens: sicut factio ad sacramentum, quia in utroque ponitur obex per peccatum; sed factio nequit tolli ex vi sacramenti fide suscepti, sed necessarium est, ut efficaciam habeat, quòd per aliud sacramentum removatur: ergo pariter meritum mortificatum per peccatum nequit efficaciam habere in ordine ad reparationem post lapsum ipsius merentis.

Et confirmatur, præcludendo tacitam evasionem adversariorum: Nam meritum illud supponit in se carentiam efficaciam in ordine ad præmium, quòd non existit in se physice, nec moraliter, nec in acceptione præmiantis; sed meritum iusti, dum conferenda est per modum præmij reparatio post lapsum, non existit physice, aut moraliter in se, nec in acceptione præmiantis: ergo meritum iusti nequit habere efficaciam ad propriam reparationem post lapsum. Minor quoad primam partem est certa: siquidem physice cito transit; moraliter solum permanere potest in gratia, quæ supponitur destructa per peccatum usque ad instant, in

quo conferenda est reparatio illius. Quoad secundam verò suadet: nam dum merita existimantur mortificata in acceptione præmiantis, censeri nequeunt persistere in eius acceptione, ut ex se liquet; sed, adveniente peccato, merita præcedentia existimantur mortificata in acceptione Dei præmiantis: ergo non persistent in acceptione præmiantis. Minor probatur: tum quia in sententia omnium merita omnia iusti mortificantur per peccatum apud Deum, itaut non possint revivisci apud ipsum, usque dum auferatur obex peccati, & propterea reprobi merita non movent voluntatem divinam ad efficacem collationem gloriæ: ergo in sensu composito peccati non manent exercite in acceptione divina. Tum etiam: nam ut merita maneat actu, & exercite in acceptione Dei præmiantis, itaut moveant eius voluntatem ad efficacem collationem præmij, opus est, quòd subiectum merens sit in eius acceptione, & propterea docuimus esse necessariam gratiam habitualem ad merendum apud Deum, non solum ratione influxus, sed etiam ratione subiecti Deo grati, & accepti; sed subiectum merens in sensu composito peccati non est in acceptione divina, sed potius est in divina abominatione; ergo.

Dicendum est tertio, non posse de potentia absoluta adhuc de congruo sibi iustum mereri reparationem post lapsum. Ita D. Thom. in præf. Et ratio desumitur ex dictis: nam meritum de congruo proprie dictum fundatur ia iure amibili; sed hoc ius rescinditur per peccatum: ergo nequit iustus sibi mereri proprie de congruo reparationem propriam post lapsum.

Et confirmatur ex D. Thom. in præf. ad 2. Nam propterea iustus potest de congruo alteri mereri suam reparationem post lapsum, quia ex parte merentis non datur impedimentum peccati, quando alteri conferenda est reparatio post lapsum; sed reparatio propria post lapsum supponit impedimentum tam ex parte præmiantis, quam ex parte merentis, ut ex se liquet: ergo iustus adhuc de congruo nequit sibi illam mereri.

Nota tamen, conclusionem istam intelligi de merito congrui proprie dicto, quale est illud, quod in ratione insinuavimus: nam non dubitamus posse iustum sibi mereri merito congrui large sumpto reparationem post lapsum propter autoritatem D. Thom. ad Hebræos 6. lect. 3. vbi id expresse concedit. Sed ne videatur sibi contrarius, aut hic retractasse sententiam, dicendum est, quod in loco allegato loquitur de merito congrui metaphorice accepto, & innixto soli misericordiæ Dei, ut legendi eius verba constabit, & in præf. artic. loquitur de merito proprie accepto, & innitentî Dei amicitia.

§. II.

Argumenta contra secundam, & tertiam assertionem.

134 **S**upposita obiectione, quae praecipua manet num. 132. nullum occurrit argumentum adversus primam assertionem. Contra secundam vero arguitur primo: nam potest dari hypothesis, in qua humanitas Christi existens per unum diem in Verbo, postea dimittatur ab ipso, & peccet, seu labatur, sed per merita antecedentia potuit mereri sui reparationem post lapsum: siquidem meritum illius esset simpliciter infinitum: ergo etiam iustus potest de potentia absoluta sibi mereri de condigno reparationem post lapsum.

Ad hoc argumentum respondetur permittendo antecedens & negando consequentiam, propter duplicem discriminis rationem. Prima est, quam tangit argumentum, quia videlicet, meritum Christi ex dignitate personae divinae est simpliciter infinitum, & hac ratione potest se extendere ad reparationem post lapsum, quae asserte explicite remissionem offensae gravis: quam purus homo ob oppositam rationem non potest de condigno mereri, nec in se, nec in alio. Secunda, & praecipua est: quia actiones sunt suppositorum, & non naturarum; & quia in illa hypothesis suppositum merens erat persona divina, & suppositum peccans non erat persona divina, sed suppositum creatum, propterea non repugnat, quod mereretur reparationem post lapsum illius humanitatis, quia merita illius suppositi nunquam manent mortificata, sed semper perseverant in acceptatione divina, sicut & ipsa persona merens. Oppositum invenitur in praesenti, ideoque non potest iustus per merita exercita in statu iustitiae mereri sibi reparationem post lapsum.

135 Arguitur secundo: Nam merita iusti adhuc in statu peccati manent in Dei acceptatione in ordine ad augmentum gratiae, & gloriae: ergo etiam manere possunt in eadem acceptatione divina in ordine ad reparationem post lapsum. Antecedens est certum; alia manerent totaliter mortua, & nullatenus reviviscerent. Consequentia à paritate constat.

Respondetur distinguendo antecedens: *manent in acceptatione divina*, in sensu composito peccati, nego antecedens; in sensu diviso, concedo antecedens. Vel alijs terminis: *manent in acceptatione divina* tunc pro tunc, nego antecedens; tunc pro tempore, quando physice restituitur gratia, concedo antecedens. Et negatur absolute consequentia. Solutio est evidens, explicitis terminis distinctionis: nam merita iusti, dum mortificantur per subsequens

peccatum, non dicuntur manere in acceptatione divina, quatenus in sensu composito peccati moveant voluntatem Dei ad remunerandum illa, praecisi alijs. Dicuntur tamen manere in acceptatione, quatenus spectant tempus, in quo subiectum fiat idoneum vtriusque pramij praedicti, cuius idoneitatem causat gratia habitualis, quae necessario debet de novo prodici, & supponi, ut talia merita efficaciter moveant ad pramia illa. At reparatio post lapsum non praesupponit idoneitatem subiecti pramiandi pro priori ad illam, & hac ratione meriti iusti in ordine ad illam est quasi totaliter mortuum, & nullo pacto manet quoad hunc effectum in acceptatione divina. Mittimus alias obiectiones Ripaldæ, quia sunt nullius momenti, & quia ex dictis facillime enodantur.

136 Adversus tertiam assertionem arguitur primo: nam peccator in sensu composito peccati potest sibi mereri de congruo reparationem: ergo etiam iustus in sensu composito iusti potest mereri sibi de congruo reparationem post lapsum. ¶ Confirmatur primo: Nam iustus potest de congruo alteri mereri reparationem post lapsum: ergo etiam sibi. Consequentia probatur: ideo antecedens est verum, quia est suppositum diversum; sed homo iustus, & homo lapsus se habet ut duplex suppositum, nempe ut merens, & ut pramiandum: ergo. ¶ Confirmatur secundo: nam ad meritum de congruo satis est, quod opera meritoria facta fuerint ad subiecto, dum erat in amicitia Dei: ergo.

Ad argumentum respondetur primo negando antecedens de merito congrui proprie dicto, propter dicta num. 100. ¶ Potest responderi secundo, concedendo antecedens de merito improprie tali, & permittendo illud de merito congrui stricte dicto. Sed negando consequentiam propter notam disparitatis rationem. Siquidem peccator potest ita mereri de congruo suam reparationem, quod non ponat suo merito novum impedimentum per subsequens peccatum actuale, quo suum meritum tale quale retractet, sed potius tale meritum, quod consistit in dispositionibus antecedentibus, v. g. in actibus fidei, spei, orationis, & attritionis &c. retractat, licet inchoative, & imperfecte, peccatum praecedens. At merita iusti, & postea lapsi retractantur per subsequens peccatum actuale, & hac ratione totaliter impeditur illorum efficacia. Sicut ob eandem rationem nos docuit D. Thom. art. praec. quod meritum vnius iusti destituitur efficacia merendi peccatori primam gratiam, non praeclie propter peccatum habituale, sed propter impedimentum peccati actualis. Et instatur in sententia adversariorum: nam Suarez, & alij docent, quod peccator potest sibi mereri de congruo primam gratiam, scilicet vero alijs, quia per proprios actus potest se disponere ad gratiam, in qua dispositione fundatur ratio meriti

riti de congruo, alter vero nequit disponi per actus alienos ad eam. Pariformiter ergo per actus elicitos in statu iustitiae, & retractatos per subsequens peccatum non disponitur ad reparationem, bene vero, licet remote, per actus bonos elicitos in statu peccati. Ideoque licet peccator possit sibi mereri de congruo suam reparationem, scilicet vero iustus.

Ad primam confirmationem respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Nam ideo iustus potest peccatori mereri de congruo reparationem, quia suppositum merens potest conservari in iustitia usque ad collationem pramij, & propterea conservat ius meritorium, & illud non retractat. Oppositum contingit in iusto volenti sibi mereri reparationem post lapsum. Idem contingeret, si iustus merens alteri reparationem post lapsum, ante huius reparationem laboretur in peccatum grave. ¶ Ad secundam respondetur, nos non intendere cum D. Thoma, quod opera elicita in statu gratiae, & respicientia reparationem post lapsum non sunt meritoria, sed quod carent efficacia in perveniendo ad primum, & quod interrumpitur eorum vis meritoria.

137 Arguitur secundo: Nam iustus potest prudenter impetrare à Deo reparationem post lapsum, ut constat ex illo psalm. 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*; sed quod iustus potest impetrare, potest de congruo mereri: ergo iustus potest sibi mereri de congruo suam reparationem post lapsum.

Huic argumento respondet Vazquez negando maiorem, quia censet talem orationem non esse impetratoriam. Sed est contra D. Thom. in praef. vbi docet, quod talis oratio est iusta, & prudens, & cum his conditionibus nequit non esse impetratoria. Unde respondetur concedendo maiorem; & negando minorem vniuersaliter intellectam. Et ratio discriminis defini debet ex multiplici differentia, quae datur inter impetrationem, & meritum adhuc de congruo. Prima est, quod meritum vim principaliter habet ex charitate: impetratio vero principaliter ex fide, qua firmiter credimus Deum esse omnipotentem, & posse postulata concedere. Secunda est, quod meritum requirit simpliciter statum gratiae, scilicet vero impetratio, quae etiam invenitur in peccatore, iuxta illud August. tract. 44. in Ioann. *Si peccatores non exaudiret Deus, frustra publicanus dixisset, Domine propitius esto mihi peccatori*. Et iuxta illud D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 16. ad 2. *Quomodo eius oratio (nempe peccatoris) non sit meritoria, potest tamen esse impetratoria*. Tertia, quod meritum innititur iuri intrinseco vel iustitiae, vel amicitiae; impetratio autem solum misericordiae Dei. Quarta, quod ad infallibilem impetrationem orationis requiritur perseverantia in ea: scilicet vero ad meritum,

quia sufficit perseverantia in gratia. Quinta, quod meritum est commune omnium virtutum actibus informatis per charitatem; impetratio autem est propria orationis, sive impetretur, sive non impetretur à charitate. Sexta, quod meritum convenit actui, prout fit in obsequium Dei, sed impetratio fundatur solum in honestate orationis. Septima, quod ad meritum requiritur status viae, non vero ad impetrationem: & ideo beati, & anime purgatorij possunt nobis aliquid impetrare, sed nec sibi, nec nobis possunt aliquid mereri. Et propterea ad id iendi non sunt qui rationem propriam impetrationis confundunt cum merito de congruo. Ex quibus liquet constare, quod iustus potest sibi impetrare reparationem post lapsum, non autem mereri.

138 Nec obest, si dicas primo cum Vazquez, quod impetratio etiam mortificatur per subsequens peccatum. Non, inquam, obest quia impetratio, cum sit composibilis cum peccato, non mortificatur absolute per illud, licet destituatur dignitate, quam habebat ratione gratiae, & non habeat tantam efficaciam.

Nec obest, si dicas secundo, quod si perseverat impetratio, infallibiliter consequetur reparationem post lapsum, iuxta illud, *Perite, & accipietis*. Nec hoc obest: quia ad infallibilem consequentiam rei impetratae inter alias conditiones requiritur orationis perseverantia, ut tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 5. ad 2. & haec deficit per lapsum subsequentem.

DUBIUM IX.

An iustus per suos actus suos intensos, sive remissos mereatur de condigno augmentum gratiae, & gloriae?

DE hoc dubio agit D. Thom. tum in praef. art. 8. sub hoc titulo: *Utrum homo possit mereri augmentum gratiae, vel charitatis?* Tum 2. 2. quæst. 24. art. 6. vbi inquit: *Utrum quolibet actu charitatis charitas augetur?* Occasione tituli prioris solent Authores in praesenti agere praecise de merito actus intensioris habitus gratiae, seu charitatis praesentis. Occasione vero posterioris tantum agunt in tract. de Charit. de vi meritoria actus remissi, v. g. actus charitatis vt duo, aut vt quatuor, in eo, qui iam habet charitatem vt quatuor. Nos vero huic controversiae absque vlla limitatione insudabimus: tum quia est materia huius disputationis: tum quia rem hanc omnino absolutam relinquare in praesenti desideramus. Ad quod etiam conducet enucleare omnes modos, quibus actus charitatis sive intensior, sive remissus concurrat ad augmentum illius. Et vt in hac prolixia materia cum maiori perspicuitate possibilibus procedamus, opus est nonnulla praescribere, & alia supponere.

§. I.

Aliquae observationes, & suppositiones.

139 **O**bserva primò, difficultatem hanc esse prorsus eandem circa augmentum gratiae, charitatis, & omnium virtutum infusarum, quae simul cum gratia necessario infunduntur, & gloriae. Ratio quoad praedictas virtutes est, quia sunt proprietates gratiae. Et sicut propter hanc rationem nequeunt infundi, quin infundatur gratia, ita nequeunt augeri, quin gratia augeatur, nec e contra. Ratio quoad gloriam est: tum quia augmentum gratiae, & virtutum est primum intermedium respectu gloriae. Tum quia maior gloria debet dari magis sancto. Tum denique, quia lumen gloriae est proprietates gratiae, & hoc agit quantum potest: ergo si lumen gloriae, quia est proprietates, proportionatur cum gratia, etiam gloria debet cum gratia proportionari. His de causis audiendus non est imprimis Durandus, qui 1. dist. 17. quaest. 8. docuit actus remissos mereri augmentum gloriae, & non augmentum gratiae. Nec audiendi sunt Victoria in relect. de Augm. charit. part. 1. num. 6. & Soto lib. 2. de Nat. & grat. cap. 17. circa fin. existimantes actus remissos mereri augmentum gratiae, & gloriae, sed non augmentum charitatis. Et tandem audiendus non est Arauxo loco citato ex 1. 2. dub. 2. num. 67. qui censet, alias virtutes infusas non commemorari in suo augmento cum gratia. Diximus supra *et omnium virtutum infusarum, quae simul cum gratia necessario infunduntur* ad distinctionem fidei, & spei, quae, sicut non dependent à gratia in produci, ita nec in augeri. Et ita potest contingere, quòd gratia infundatur in gradu remisso, & supponatur fides in gradu intenso. Quo observato, noster sermo erit tantum de gratia, ad vitandam vocum multitudinem.

140 Observa secundò, ad resolutionem praesentis difficultatis non peti, quòd augmentum fiat secundum totam latitudinem, aut aequalitatem arithmeticam, itaut si quis habet charitatem ut decem, & eliciat actum charitatis ut octo, aut duodecim, debeant totidem gradus superaddi; aliàs per triginta actus ut viginti gratia augetur infusione incredibili, & quasi infinita. Solum ergo desideratur ad statum quaestionis, quòd per actum intensiorem tot gradus, in quibus actus superexcedit habitum, superaddantur intuitu excessus, & intuitu graduum, in quibus non superexcedit, & intuitu actuum absolute non excedentium superaddatur aliquod augmentum incertum, & secundum proportionem geometricam. His ita praemisissis:

Tres referuntur errores circa hanc mate-

riam: nam Iovinianus dixit omnes iustos esse aequales in gratia, & gloria, proindeque iustum per plura virtutum opera non mereri plus augmentum gratiae, & gloriae quam alium. Luthe- rus, qui asserbat hominem iustificari per imputationem extrinsecam iustitiae Christi, consequenter docebat non mereri per bona opera augmentum gratiae: quia iustitia Christi non est capax augmenti. Aliqui eius discipuli, licet concederent iustum verè crescere in gratia; affirmabant tamen bona opera illius non esse meritoria talis augmenti, sed solum esse signa, & effectus gratiae iam adeptae. Ad quos errores debellandos:

141 Supponendum est primò, tanquam omnino certum de fide, bona opera iusti verè concurrere ad augmentum gratiae. Ita definit Trident. sess. 6. can. 24. ubi proferribit praedictos errores his verbis: *Siquis dixerit, iustitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam, anathema sit.* Et suaderi potest ex illo Apocal. ultimo: *Qui iustus est, iustificetur adhuc:* quae verba, & alia similia, quae in Scriptura referuntur, inutiliter dicerentur, nisi iustus per opera sua bona posset crescere in gratia.

142 Supponendum est secundò, iustum saltem de congruo mereri augmentum gratiae. Haec supposito etiam est certa de fide, & distincta à Trident. ibi can. 32. ubi ait: *Siquis dixerit, hominis iustificati opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum boni operibus, quae ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiae, vitam eternam, & ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.* Ratio Div. Thom. id etiam suadet in hoc art. 8. nam id cadit saltem sub merito de congruo, ad quòd divina ordinatio, & motio gratiae se extendit; sed ordinatio divina, & motio gratiae se extendunt ad augmentum gratiae: ergo cadit sub merito saltem de congruo. Minor probatur: nam se extendunt ad augmentum gloriae: ergo etiam ad augmentum gratiae. Patet consequentia: tum quia motio, seu ordinatio alicuius provisoris, quando se extendit ad ultimum terminum, etiam se extendit ad terminum intermedium, qualis est augmentum gratiae relatè ad augmentum gloriae. Tum etiam: nam licet vivens non possit se generare; semel tamen genitum potest seipsum augere.

Ex quibus clarè deducitur, omnes actus bonos moraliter iusti concurrere ad augmentum gratiae dispositive saltem moraliter, vel proximè,

vel remotè. Difficultas tamen est, an concurrant dispositive physice? Et an concurrant moraliter meritorie de condigno.

143 Circa primam difficultatem duplex vertitur sententia. Prima negat esse dispositiones physicas. Ita Suarez lib. 8. de Grat. cap. 5. & in relect. de Revisio. merit. disp. 1. sect. 3. Vazquez in praef. disp. 120. cap. 8. Torres etiam 2. 2. disp. 68. dub. 3. pluresque alij, & quotquot negant actus, quibus impius preparatur ad primam iustificationis gratiam, esse dispositiones physicas. Secunda affirmat. Ita communiter Thomistae, quos supervacaneum est recensere. Videantur tamen apud NN. Salmant. tract. 15. disp. 3. dub. 5. num. 106. & tract. 19. disp. 5. num. 20.

Circa secundam difficultatem quadruplex principalis datur sententia: duplex extrema, & duplex alia media. Prima extrema docet, iustum neque per actum magis intentum, neque per actum remissum mereri de condigno augmentum gratiae. Pro qua referuntur D. Bonav. in 2. dist. 27. art. 2. quaest. 2. Richard. ibidem, Durand. ibi quaest. 2. nam. 12. N. Uvald. tom. 3. Sacrament. cap. 7. & Burg. in psalm. 35. Secunda extrema tenet, iustum sive per actum remissum, sive per actum intentum mereri de condigno augmentum gratiae. Ita communiter Theologi, quos referunt, & sequuntur NN. Salmant. tum in praef. dub. 4. & tract. de Charit. disp. 5. dub. 3. num. 53. Tertia, & prima media asserit, iustum quolibet actu remisso charitatis, & alio quocumque actu meritorio mereri de condigno gratiae augmentum adaequatè, & independentè ab aliquo pacto accidentali superaddito pacto communi merendi. Ita Suarez in relect. de Revisio. merit. disp. 2. alijque in locis, quem plures Recentiores sequuntur. Quarta, & ultima defendit, iustum per actus remissos non mereri de condigno augmentum gratiae distinctum ab eo, quòd per sequentem actum intensiorem meretur, sed mereri proportionatè idem augmentum pluribus titulis conferendum, sicut Christus non meruit per diversos actus diversa praemia, sed idem diversis titulis collatum. Et si contingat, quòd iustus post actus remissos non eliciat actum intensiorem in via, merita remissa manebunt absque praemio augmenti gratiae in perpetuum, licet mereretur maius praemium accidentale. Ita Bañez 2. 2. quaest. 24. art. 6. dub. 2. quem sequuntur alij Thomistae. Pro nostra mente declaranda sequentes assertiones stabilimus.



§. II.

Resolutio prima quoad priorem difficultatem.

144 **D**icendum est primò, actus charitatis sive remissos, sive intensos, & quoscumque actus bonos moraliter hominis iusti disponere physice ad augmentum gratiae. Ita D. Thom. in 1. dist. 17. q. 2. art. 3. in corp. ubi ait: *Non eodem modo se habet iustus informatus charitate ad augmentum charitatis, & actus procedens charitatem ad habendam charitatem.* Actus enim, qui est ex charitate, ordinatur ad augmentum charitatis, & per modum dispositionis, & per modum meriti. Sed actus procedens charitatem ordinatur ad consequendam charitatem solum per modum dispositionis, & non per modum meriti. Sentit ergo, quòd quilibet actus bonus moraliter iusti, qui aliàs est informatus charitate iuxta dicta dub. 5. concurrat ad augmentum gratiae nedum dispositive moraliter, seu meritorie, sed etiam physice.

Idipsum colligitur ex 2. 2. quaest. 24. art. 6. ubi inquit: *Non quolibet actu charitatis charitas actu augetur, sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem, & habitate crescente homo prorsus pit in actum ferventiorum dilectionis, quosque conetur ad charitatis profectum; & tunc charitas augetur in actu.* In quibus verbis non obscure ostendit se loqui de dispositione physica, & non tantum morali; cum tanta proportio non requiratur inter dispositionem purè moralem, & formam ad quam disponit, nec opus sit tanta distinctione inter dispositionem remotam, & proximam; atque ratio D. Thom. etiam extenditur ad omne opus bonum morale, maximè informatum charitate, quia ex eo redditur homo promptior ad perfectiorem actum charitatis: ergo iuxta D. Thom. iustus per omnes actus bonos moraliter, sive intensos, sive remissos disponit physice ad augmentum gratiae. Unde haec assertio est valde conformis doctrinae disp. praec. à num. 82. traditae. Ex qua deducitur ratio probativa illius.

Nam gratia in prima sui infusione dependet à nostris actibus supernaturalibus tanquam à dispositione physica sive proxima, sive remota: ergo post eius infusionem etiam in illius augmento dependet à nostris actibus tanquam à dispositione physica sive proxima, sive remota. Antecedens supponitur ex dictis loco citato. Et consequentia probatur: tum nam ideo antecedens est verum, quia gratia in primo sui esse non infunditur connaturaliter sine proprijs actibus

bus liberis proportionatis cum susceptivo libero & forma perfecta libera, & quia homo proximè, vel remotè iuxta qualitatem actus determinatur ad illam, illique appropriatur; sed omnia hæc intercedunt in omnibus actibus bonis moraliter post adeptam gratiam relatè ad eius augmentum, ut liquet: ergo si in prima sui infusione dependet tanquam à dispositione physica proxima, vel remota ab omnibus actibus supernaturalibus, etiam dependet vno, vel altero modo ab omnibus actibus bonis moraliter tanquam à dispositione physica. Tum etiam; nam forma substantialis non solum dependet à dispositionibus physicis, dum primò producitur, sed etiam dum augetur: ergo pariter gratia non solum dependet in primo sui esse ab actibus tanquam à dispositione physica. Tum denique: quia in sententia Suarezii intentio fidei in peccatore dependet tanquam à dispositione ab actu interiori; non morali, quia non meretur: ergo physica: ergo idem dicendum est de intentione gratiae.

145 Respondebis primò, esse nonnullam disparitatem inter actus disponentes ad primam gratiam, & actus disponentes ad augmentum illius, quòd priores non sunt meritorij, & propterea nequeunt esse nisi dispositiones physicae: posteriores verò sunt meritorij augmenti gratiae, & hoc pacto potius pertinent ad dispositionem moralem.

Sed hæc evasio est proflua voluntaria, ideoque facile rejicitur: tum quia conceptus merendi ex terminis non est impossibilis cum conceptu disponendi physice, sicut nec conditiones ad merendum opponuntur in eadem forma cum conditionibus ad disponendum physice: ergo ex eo, quòd actus præcedentes augmentum gratiae concurrant moraliter seu meritorie, non obstat, quòd etiam concurrant dispositivè physice. Antec. videtur certum: nam conditiones ad disponendum physice sunt illæ, quas supra innuavimus, & reperiuntur in actibus præcedentibus primam gratiam, à quibus non exiuntur actus præcedentes augmentum illius per hoc, quòd superaddatur conceptus merendi ex vi aliarum conditionum. Tum etiam: nam in Suarezii sententia actus contritionis est meritorius saltem de congruo primæ gratiae: ergo vel debet negare (vt reverà negat) esse dispositionem physicam illius; vel debet concedere, actus præcedentes augmentum gratiae esse simul dispositiones physicas, & meritorias. Tum denique: nam actus præcedentes primam gratiam sunt dispositiones morales, vel per modum meriti de congruo, vt plures volunt, vel per modum impetrationis, vt alij, vel alio modo, quatenus movent voluntatem divinam ad eius infusionem, quòd est proprium dispositionis morali; & tamen prædicta evasio permittit esse dispositiones physicas: ergo idem dicendum est de actibus præ-

cedentibus augmentum gratiae: & sic corrumpit prædicta disparitas.

146 Respondebis secundò, concedendo antec. & negando consequentiam, propter aliam discriminis rationem: nam ad primam gratiam non supponitur subiectum determinatum ad illam nisi medijs actibus præcedentibus, & propterea hi sunt dispositiones physicae. Caterum ante augmentum gratiae iam supponitur subiectum cum ipsa gratia, quæ sufficienter coaptat subiectum ad eius augmentum, & propterea ad hoc dispositionibus physicis non indiget.

Contrà est primò: Nam subiectum alicuius formæ non intelligitur rectè dispositum per hoc præcisè, quòd si aliàs subiectum capax illius, sed per hoc quòd determinatur ad formam: ideoque quamvis sit ratioe potentie obedientialis capax primæ gratiae, non intelligitur rectè dispositum quovisque per aliquos actus proportionetur, & determinetur ad eam; sed per hoc, quòd habeat gratiam, non est determinatum ad augmentum gratiae, vt ex se liquet, cum habens gratiam vt vnum non sit magis determinatum ad augmentum vt duo, quam ad augmentum vt mille: ergo opus est, quòd determinetur per aliquos actus ad speciale augmentum proportionatum cum talibus actibus, provideque per illos physice disponatur. ¶ *Secundò.* Nam non obstanti, quòd augmentum substantiæ supponat naturam, non supponit illam sufficienter proportionatam, coaptatam, & determinatam ad illud, & propterea eget alijs dispositionibus ad sui augmentum: ergo idem dicendum est de augmento gratiae. ¶ *Tertiò, & urgentius:* Quia est quantitas ex parte sui habeat vim ad occupandum maiorem locum, non tamen illud occupat, nisi disponatur maiori raritate, vt optime explicant NN. Complut. abbrev. de Generat. disp. 7. ergo potiori titulo hoc concedendum est de augmento gratiae: quia huic, ad præstandum talem effectum, necessariò superaddendum est aliquid per modum formæ.

Per quod præcluditur quoddam discrimen, quod adducere possunt adversarij inter augmentum substantiæ, & augmentum gratiae: quòd scilicet ad augmentum illius necessaria est dispositio, quia hæc est de linea accidentis, & accedens potest disponere ad substantiam: ad accedens verò, vt est gratia augmentum, superfluit aliud accedens per modum dispositionis. Ex dictis, inquam, manet præclusum: tum exemplo proximè adducto. Tum quia, non obstanti quòd prima gratia sit accedens, disponitur physice per alia accidentia. Tum denique: nam, quia gratia est natura in linea supernaturali, & forma perfecta, eget dispositionibus physicis ad sui connaturalem infusionem: ergo etiam augmentum ipsius gratiae. Propter hæc forte inquit D. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 6. *Quòd aug-*

mentum

Dub. IX. An iustus per suos actus sive intensos, sive remissos, sive mentum spirituale charitatis quodammodo simile est corporali augmento.

Et discurrendo proportionatè ad substantiam, & ad primam infusionem gratiae, facile deducitur, quo pacto actus remissus, & intensus disponat: nam actus remissus, cum non sit adequatè proportionatus, non disponit proximè, sed remotè ad augmentum: e contra verò, quia intensus est omnino proportionatus, disponit proximè: sicut calor vt duo solum disponit remotè ad formam ignis, & calor vt octo proximè. Idemque apparet in augmento substantiæ, respectu cuius quedam sunt dispositiones remotæ, & aliæ proximæ. Quis enim negabit, quòd actus charitatis vt quatuor est magis proportionatus cum gratia vt quatuor, quam actus vt duo? Quòd docuit D. Thom. exemplo virtutis acquisitæ loco proximè relato ad s. his verbis *In generatione virtutis acquisitæ non quilibet actus complet generationem, sed quilibet operatur ad eam vt disponens: & ultimus, qui est perfectior agens, in virtute omnium præcedentium reducit eam ad actum, sicut etiam est in multis guttis cavantibus lapidem.* Et cum omnis actus bonus moraliter in iusto aliquo modo disponat ad actum charitatis, eo modo quo iste disponit ad augmentum gratiae, proportionè servata, ille etiam disponit.

Hic tamen notare oportet, augmentum gratiae non debere correspondere actui intensiori secundum totum suam latitudinem, ita vt si quis habeat gratiam vt quatuor, & elicit actum charitatis vt sex, debeat augeri gratia vsque ad decem, sed præcisè secundum excessum actus supra habitum. Tum quia physice non est proportionatus cum gratia vt decem. Tum etiam quia hac ratione in eo, qui habet habitum acquisitum vt quatuor, & elicit actum intensum vt sex, solum augetur habitus vsque ad sex. Et in subiecto calido vt quatuor, si accedat agens calidum vt sex, solum augetur calor vsque ad sex. Sed de hoc infra.

147 Restat solvere præcipuam obiectionem adversariorum. Quæ est huiusmodi: nam nec actus remissus, nec actus intensior producant intentionem gratiae, vt supponimus cum constanti sententia Thomistarum, & sui Angelici Præcept. 1. 2. quæst. 112. & 2. 2. quæst. 24. art. 2. & in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 3. neque relinquunt post aliquid in potentia, ratione cuius maneat determinata ad augmentum gratiae: ergo non sunt dispositiones physicae. Consequentia probatur: nam vt proximè vidimus ex D. Thom. propterea actus remissus virtutis acquisitæ disponit physice ad eius generationem, & guttæ aquæ ad excavationem lapidis, quia relinquunt aliquid, virtute cuius actus ultimus, & gutta ultima physice proximè producit suum effectum: ergo si nihil horum reperitur in actibus charitatis, sequi-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

tur, quòd non sunt dispositiones physicae, sed tantum morales.

Hæc obiectio confundit genus causæ efficientis physicae cum genere causæ dispositivæ physicae, quæ confusio omnino vitari debet. Facile tamen tollitur, si dicatur, quòd multoties genus causæ dispositivæ associatur cum genere causæ efficientis physicae, vt contingit in duobus exemplis allatis, & in omnibus dispositionibus antecedentibus ad aliquam formam naturalem. Aliquandò non associatur cum genere causæ efficientis physicae, vt in dispositionibus consequentibus, cum quibus in hac parte conveniunt dispositiones antecedentes ad formam supernaturalem. Nec propter hoc desinent esse dispositiones physicae sive proximæ, sive remotæ, vt nunc supponimus de dispositionibus tantum antecedentibus, quam consequentibus primam gratiam habitalem, ad quod satis est subiectum appropinquari physice, & determinari per eas proportionè servata ad formam. Et in hoc tantum tenet similitudo intentà à D. Thom. inter exempla adducta, & dispositiones proximæ, & remotas primæ gratiae, & augmenti illius. Caterum quia dispositiones antecedentes, sive remotæ, sive proximæ, ad formam naturalem, præter genus causæ dispositivæ physicae, habent etiam efficienter physice influere in formam, opus est, quòd in subiecto aliquid relinquatur, vi cuius ultima dispositio physice illam producat. Hoc autem necessarium non est in dispositionibus antecedentibus formæ supernaturalis propter oppositam rationem.

§. III.

Resolutio secunda quoad secundam difficultatem, & quoad actus intensos.

148 **D**icendum est secundò, iustum saltem per actus intensiores charitatis mereri de condigno augmentum gratiae. Ita expressè D. Thom. in præf. art. 8. Et probatur primò ex Trid. nam iustus eodem modo meretur augmentum gratiae, & gloriæ, ac ipsam gloriam; sed iustus meretur de condigno gloriam, vt probatum manet supra num. 5. ergo etiam meretur de condigno augmentum gratiae; sed nullus aptior actus potest excoigari ad tale premium quam actus intensior gratia præexistenti: ergo per actus intensiores iustus meretur de condigno augmentum gratiae. Cætera constant præter maiorem, quæ definita est à Trident. sess. 6. can. 32. relato num. 142.

Deinde probatur ratione D. Thom. ad hanc formam redacta: Nam illud cadit sub merito de condigno, ad quod divina ordinatio, & motio gratiae se extendit mediante opere condigno sed medijs actibus intensioribus tanquam opere

REI

591

condigno ordinatio divina, & motio gratiae se extendit ad augmentum gratiae: ergo iustus per tales actus mereatur de condigno augmentum gratiae. Minor probatur: nam ordinatio divina, & motio gratiae medijs praedictis actibus tantquam opere condigno se extendit ad augmentum gloriae: ergo etiam ad augmentum gratiae. Consequentia est legitima: nam, ut diximus num. proxime relato, motio, seu ordinatio alicuius perfecti provisoris non se extendit ad ultimum terminum, quin etiam se extendat ad terminos intermedios, & si opus ordinatum est condignum cum termino ultimo, etiam est condignum cum termino intermedio: augmentum autem gloriae est terminus ultimus, & augmentum gratiae est terminus intermedius, iuxta illud Prov. 4. *Iustitiam semita quasi lux explorans procedit, & beneficit usque ad perfectum diem, qui est dies gloriae*, ut exponit hic D. Thom. Antecedens autem quoad ordinationem divinam est plusquam certum: quia sicut promissa est gloria illam merenti, etiam est promissa maior gloria magis merenti. Quoad condignitatem operis intensioris cum maiori gloria facile ostenditur: nam actus charitatis, v.g. ut unum est condignus cum gloria secundum se, ut probavimus num. 5. ergo actus charitatis ut quatuor est condignus cum maiori gloria. Quae ratio magis elucefceret ex aliquarum obiectionum solutione.

139 Obijcies ergo primo: Nam perseverantia finalis est medium ad gloriam; & tamen iustus mereatur de condigno gloriam, quin possit mereri perseverantiam: ergo etiam mereatur de condigno augmentum gloriae, quin mereatur augmentum gratiae.

Obijcies secundo, & simul impugnat solutio, quae praecedenti potest adhiberi: Nam sicut perseverantia se tenet ex parte principij meriti, ita gratia ut intensa se tenet ex parte maioris meriti, seu actus intensioris: ergo licet iustus per actum intensiorem mereatur de condigno augmentum gloriae, non sequitur mereri etiam augmentum gratiae. Antecedens probatur: tum quia actus meritorius gloriae petit procedere a gratia: ergo magis meritorius a maiori gratia. Tum etiam: nam actus intensus ut quatuor, qui supponebat gratiam intensam ut duo procedit a gratia ut affecta aliquo modo; sed non ut affecta modo ut duo, alias cum modus ut quatuor existat in eodem instanti, simul existerent duo modi: ergo ut affecta modo ut quatuor.

Obijcies tertio: Nam actus intensus ut quatuor, & supponens gratiam ut duo non est condignus cum gratia ut quatuor: ergo nequit esse meritorius de condigno augmentum gratiae, licet mereatur de condigno augmentum gloriae. Antecedens probatur: nam gratia ut quatuor excedit in valore gratiam ut duo; sed actus in-

tensus ut quatuor accipit totum suum valorem a gratia ut duo: ergo actus intensus ut quatuor, & supponens gratiam ut duo non est condignus cum gratia ut quatuor.

Nec refert dicere cum D. Thom. in praef. ad 2. quod licet gratia ut aucta sit supra quantitatem gratiae praesistentis, secus vero supra virtutem ipsius.

Non, inquam, refert: Tum, quia virtus gratiae praesistentis non distinguitur ab eius quantitate, cum quantitas gratiae non sit quantitas molis, sed virtutis, & quod est magis intensa, eo habet maiorem virtutem; sed gratia ut quatuor excedit in quantitate gratiam praesistentem ut duo: ergo etiam in virtute. Tum etiam: nam actus ut intensior gratiae praesistenti, vel excedit virtutem illius, & sic gratia, quae est eius effectus meritorius, etiam illam excedit; vel non excedit, & sic adequat in valore augmentum illius.

Ad primam obiectionem respondetur, quod perseverantia finalis non est proprie medium ad gloriam, sed est principium meriti, ut infra late dicemus. Augmentum autem gratiae est proprie medium ad maiorem gloriam, & propterea, si haec cadit sub merito de condigno operis intensioris, etiam augmentum gratiae.

Ad secundam respondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quod actus meritorius absolute per se procedere a gratia, & non potest procedere a solo auxilio. At actus ut intensior, seu magis meritorius potest procedere a gratia ut adiuta auxilio, quod suppleat vices modi intensioris. Pro quo videantur dicta disp. praef. num. 42. Ad secundam dicimus, quod praedictus actus procedit a gratia ut nullo modo affecta, sed praesente ut elevata auxilio. Et ratio huius est: quia licet repugnet ex sua ratione particulari meritum regulatum per fidem, & primum ultimum consistens in visione beatifica simul coexistere, non tamen repugnat ex communi ratione meriti, & praemij, quod praemium conferatur in eodem instanti, in quo existit meritum; & in sententia communi Theologorum ita se habet praemium intermedium consistens in augmento gratiae. In qua suppositione gratia praesistentis cum modo ut duo in eodem instanti, in quo elicit actum charitatis ut quatuor, & afficitur augmento ut quatuor, seu modo ut quatuor, & expoliatur a modo ut duo per modum ut quatuor. Et cum modus ut quatuor utpote praemium actus intensi ut quatuor, nequeat praetelligi existens pro priori ad praedictum actum, seu meritum, sed ad summum in genere causae dispositivae physicae, quatenus in eodem indivisibili instanti, & pro aliquo signo naturae expellit modum praecedentem; inde est, quod ad talem actum tantum insuat gratia ut elevata auxilio

sup-

supplente vices modi ut quatuor in posteriori signo adveniendi. Neque ex hoc inferas modum advenientem ut quatuor esse causam, & effectum in eodem genere causae dispositivae physicae: siquidem modus ut quatuor disponit physicè expellendo modum anteriorem, & disponitur physicè per actum ut quatuor iuxta dicta §. praef. Non, inquam, inferas: nam modus ut quatuor solum disponit per accidens ad actum ut quatuor, quatenus per impossibilitatem expellit modum ut duo non perveniente suo influxu dispositivo ad actum: actus vero disponit per se, & directe ad modum ut quatuor supervenientem.

150 Ad tertiam respondetur sustinendo solutionem inter arguendum datam, quae est D. Thom. ut ibi diximus. Et ad replicam dicendum est virtutem gratiae esse duplicem, aliam physicam, per quam physicè insluit in suos actus: aliam moralem, per quam dignificat actus meritorios. Dicimus ergo, quod licet actus intensior gratiae praesistenti excedat virtutem illius physicam, sicut & quantitate illius, & hac ratione nequeat haec illum producere, nisi elevetur per auxilium suppleans defectum talis virtutis, seu modi proportionati; non tamen excedit virtutem eius moralem, quia minima gratia, dummodo insuat in actum, & in quamlibet eius intentionem, sufficit ad illum valendum iuxta capacitatem actus. Gratia autem physicè insluit in totam intentionem actus, & non solum auxilium elevans: sicut intellectus elevatus lumine gloriae vere insluit in visionem beatam, & non solum lumen, & dum gratia est affecta modo ut quatuor, & elicitur actus charitatis ut quatuor, non solum modus insluit in illum, sed etiam ipsa gratia secundum se insluit vere, tum in ipsum actum secundum se, quam in ipsam intentionem, modo, & auxilio se habente ut ratione formali ad excessum actus supra habitum secundum se. Et sicut modus ut quatuor, dum adest, non est proprie, qui dignificat actum, sed gratia ipsa vere concurrans ad intentionem, licet elevata per modum; ita auxilium non dignificat intentionem actus, sed gratia concurrans cum illo. Ex quo clarè constat, quam diversa sit virtus physica gratiae a virtute eius morali, quantumvis haec fundetur in illa. Et per hoc factis constat ad duas probationes.

151 Sed dices pro maiori luce doctrinae proxime traditae, & disp. praef. num. 42. Nam gratia cum auxilio solum concurrat instrumentaliter ad excessum actus intensioris, licet gratia secundum se principaliter concurrat ad ipsum actum intensum secundum suam substantiam: ergo non vere insluit in intentionem actus: ergo nec illam dignificat. Haec vitiosa consequentia patet ex prima, quia gratia non dignificat id, quod vere non producit. Et prima ex dictis tract. 2. ubi statuimus discrimen inter causam principalem, qualis est omnis causa vitalis, & causam instrumentalem, consistens in eo quod causa principa-

lis vitalis, cum moveatur a se, verè attingit suum effectum; causa verò instrumentalis cum non moveatur a se, non attingit verè effectum causae principalis, sed tantum dispositivè. Antecedens pluribus in locis traditur à NN. Salmi, praef. tract. 1. §. disp. 2. num. 244.

Haec replica, quam alibi tetigimus, totaliter manebit dissipata, si praedictis, & tantis PP. congrua expositio adhibeatur. Pro quo nota primo duplex esse genus instrumenti, aliud proprie dictum, & aliud improprium: de ratione prioris est, quod agat proprie ut motum ab alio, & non possit, adhuc postquam est motum, agere a se: de ratione posterioris solum est, quod moveatur ab alio, sed postquam est motum, potest agere a se: ex quo resultat aliud discrimen, nempe quod instrumentum rigorosum non tangit per suum influxum effectum causae principalis, sed tantum effectum praevium, medio quo tantum dispositivè concurrat ad aliud; sed instrumentum secundum quid etiam tangit effectum causae principalis, & a se potest moveri in ordine ad illum, & hoc pacto intellectus elevatus lumine gloriae potest largè dici instrumentum Dei in ordine ad visionem beatam.

Nota secundo, in actu intenso ut quatuor, elicitur ab eo qui habebat gratiam ut duo, vel abique omni modo, pro priori ad eius efficientiam iuxta superius dicta posse considerari operationem secundum se, intentionem ut quatuor secundum tendentiam specificam, permanentiam illius iuxta dicta disp. praef. num. 45. & vltimam actualitatem. Secundum primam formalitatem non excedit virtutem physicam gratiae, iuxta secundam licet excedat virtutem physicam gratiae, secus verò virtutem physicam auxilij. Ex quibus prima omnino principaliter producitur a gratia, secunda producitur instrumentaliter, sed non rigorose, sed improprie, & secundum quid, sicut visio ab intellectu elevato lumine gloriae, par enim est utrobique ratio, & hoc sufficit ut actus intensus ut quatuor evadat valorosus ut quatuor ratione gratiae. Dux postremae formalitates absolute excedunt virtutem physicam non solum gratiae, sed etiam auxilij, & hac ratione solum tanguntur ab auxilio tanquam a virtute instrumentaria rigorosa. Nec propter hoc desinunt esse meritoriae, quia ad hoc satis est, quod gradus ille procedat absolute a gratia, & quod fundamentaliter, & praesuppositivè sint vitales, voluntariae, & liberae. Et in hoc sensu accipiendi sunt praedicti Patres.



§. IV.

Resolutio tertia quoad actus remissos.

152 **D**icendum est tertio, quod si attendatur ad solas leges meriti de condigno, nulla interveniente dispositione accidentali, iustus non meretur de condigno quolibet actu charitatis remisso, seu bono moraliter augmentum gratiae, proindeque non meretur actus remissus secundum totam latitudinem actus. Hac assertio procedit contra primam sententiam mediam relatae num. 143.

Ex probatur quoad priorem partem, ex qua dependet posterior. Pro quo duo supponenda sunt, & quod iustus habens charitatem ut quatuor elicit actum charitatis ut unum non habens valorem, nisi ut unum, & quod premium intentus est indivisibile, v. g. ut quinque, ad cuius consequentiam pacificetur Deus tantum esse contentendum ei, qui condigne meretur illud adaequate iuxta quod Deus non manet obligatus ex iustitia ad eius collationem nec quoad totum, nec quoad partem propter sui indivisibilitatem, nisi ei qui habet meritum ut quinque, & proportionatum cum toto premio. Sicut Rex proponens munus indivisibile valoris ut centum laboranti ut centum non manet obligatus ex iustitia ad conferendum illud munus laboranti ut viginti. In his suppositionibus.

Probatur efficaciter conclusio ratione. Nam actus non adaequans in valore morali augmentum gratiae, iuxta leges communes meriti de condigno nullo modo potest illud mereri de condigno; sed actus ut unum, praecisus alijs circumstantijs, durationis v. g. multiplicationis &c. non adaequat in valore gratiam ut quinque; ergo non meretur illam de condigno attentis legibus communibus meriti. Maior est secundum suppositionem secundam factam. Minor vero probatur: nam actus charitatis ut unum non adaequat in valore morali actum charitatis, sed actus charitatis ut quinque non superexcedit, sed adaequat in valore morali gratiam ut quinque: ergo actus ut unum non adaequat in valore morali gratiam ut quinque.

Quae ratio magis urget circa totam latitudinem augmenti, ut si augenda foret gratia usque ad octo, superaddendo supra gratiam ut quatuor alios quatuor gradus ratione actus de novo elicit ut quatuor: siquidem longe maioris valoris est gratia ut octo, quam gratia ut quinque: ergo si actus ut quatuor non adaequat in valore morali gratiam ut quinque, multo minus potest adaequare gratiam ut octo.

153 Respondebis primo, quod licet actus ut quatuor praecise ab alio actu ut quatuor non adaequet gratiam ut quinque, adaequat tamen illam cum alio actu, qui meruit gratiam ut

quatuor, immo & excedit illam, quia quatuor, & unum simul adaequant quinque gradus, & quatuor, & quatuor debent excedere quinque gradus ex parte augmenti.

Sed contra est: Nam licet actus ut unum simul cum actu intenso ut quatuor habeat maiorem valorem, quam actus ut unum, & quam actus ut quatuor praecise sumpti, non tamen adaequat simul cum actu ut quatuor in valore morali actum indivisibilem, & intensum ut quinque: ergo nec gratiam indivisibilem intensam ut quinque. Antecedens probatur: nam gradus indivisibilis ut quinque maioris valoris est tam physice, quam moraliter, quam quinque actus ut unum: quia tota perfectio istorum eminentiori modo continetur in gradu indivisibili ut quinque, & nequit adaequari in valore morali, nisi per maiorem multiplicationem, aut continuationem eorum: ergo etiam est maioris valoris tam physice, quam moraliter, quam duo actus, unus ut unum, & alius ut quatuor.

154 Respondebis secundo, gradum ut quinque esse virtualiter divisibilem. Supposito ergo, quod actus ut unum simul cum actu ut quatuor meretur maius premium, quam solus actus ut quatuor, opus est, quod meretur de condigno aliquid gratiae augmentum.

Contra est: Nam quando premium est formaliter indivisibile, & secundum nullam portionem separabile & distinctum, nequit iuxta leges communes meriti esse debitum ex iustitia secundum unam partem, nisi sit etiam secundum se totum, ut liquet exemplo adducto Regis promittentis donum aliquid indivisibile certantibus usque ad meritum condigno illius, alias ex iustitia teneretur conferre aliquid supra meritum de condigno; sed supponitur, quod gradus ut quinque est formaliter indivisibilis non habens portiones separabiles, & distinctas, & quod actus ut unum simul cum actu ut quatuor non adaequat in valore morali totum gradum ut quinque: ergo nihil in eo meretur de condigno. Patet consequentia: nam meritum illud, quod nequit obligare ex iustitia, nequit esse meritum de condigno. Unde posset Deus, aut Rex aliud premium conferre, si vellet, quod corresponderet illi excessui, sed ad hoc conferendum adhuc non teneretur ex iustitia, nisi supposita alia promissione accidentaria: & ita nullum est inconveniens concedere, quod merita illa maneat irremunerata, quia non adaequant premium illud indivisibile, ad quod tantum se obligavit iudex ex suppositione meriti adaequati cum toto illo.

155 Ex cuius recta intelligentia facile corrunt nonnullae obiectiones adversariorum. Prima est: Nam valor moralis meriti crescit ex bonorum operum multitudine, ut infra dicemus: ergo plus meretur, qui elicit simul actum ut quatuor, & actum ut unum, quam si eliceret solum actum

Dub. IX. An iustus per suos actus sive intensos, sive remissos &c.

actum ut quatuor; sed per actum ut quatuor meretur augmentum ut quatuor: ergo per actum ut unum meretur postea supra augmentum ut quatuor: ergo per alium actum ut quatuor meretur postea maius augmentum.

Secunda est: Nam quodlibet peccatum mortale remissum meretur de condigno poenae augmentum, praecisa alia lege accidentali demerito: ergo etiam opus remissum charitatis meretur augmentum gratiae. Patet consequentia a paritate, & a proportione, quam actus meritorius habet ad premium, similem ei, quam demeritum habet ad poenam.

Tertia est: Nam quodlibet opus satisfactorium, quantumvis remissum, ex communi lege satisfactionis, non supposita alia gratia est accidentali, dimittit poenam: ergo quodlibet opus meritorium auget premium. Consequentia etiam constat a paritate, & a simili proportione. ¶ Confirmatur: Nam nullum est opus bonum moraliter, per quod non augetur premium accidentale, etsi hoc supponatur valde intensum: ergo idem dicendum est de illo relate ad premium essentiale.

Pro solutione primae obiectionis aliqua observanda veniunt. Observa ergo primo, valorem moralem in merito crescere non solum ex intentione maiori physica actus, sed ex alijs capitibus, scilicet ex continuatione, & multiplicatione. Ita communitur Theologi contra Bañez. Et ratio id triader: nam quis cordate potest dubitare, quod actus charitatis ut quatuor continuatus per unam horam habet maiorem valorem, quam idem actus durans praecise per unum instantem? Pariter quis dubitabit, quod quatuor actus charitatis ut duo excedat in valore morali unum solum actum charitatis ut duo? Quod patet aliquibus exemplis: nam plus valoris habet, qui per totum diem laborat cum eadem intentione, quam qui cum eadem intentione laborat praecise per unam horam. Item argentum potest ita multiplicari, quod habeat maiorem valorem, quam aurum. Tandem plura opera satisfactoria eiusdem intensiois physicae pluris habentur estimatione morali ad extinguendam poenam, quam unum opus cum eadem intentione, alias confessorius in satisfactione sacramentali frustra imponeret decem ieiunia, vel decem elemosinas eiusdem rationis. Ex quo infertur, quod actus physice remissus, & non adaequans physice augmentum superaddendum, potest ita crescere ratione continuationis, aut multiplicationis, ut illud adaequet in valore morali, & in ratione meriti de condigno.

Observa secundo, continuationem actus plus conducere ad augendum valorem meritorium ceteris paribus, quam multiplicationem, itaque plus augetur meritum in eo, qui perseveranter, & absque ulla interruptione elicit actum charitatis ut quatuor, quam in eo, qui cum ca-

dem intentione illum repetit, & frequentat cum nonnullis moralibus interruptionibus. Pro quo adfuit urgentia motiva: tum quia perseverantia importat specialem difficultatem sufficientem ad constituendam specialem virtutem, ut docet D. Thom. 2. 2. quaest. 137. art. 1. & propterea plus estimanda est continuatio ceteris paribus, quam repetitio. Tum etiam: Nam actus v. g. durans per unam horam, durat in omnibus instantibus, in quibus durans actus interrupti, & etiam in alijs, in quibus actus multiplicati interruptuntur: quis ergo negabit continuationem conducere ad augendum valorem magis, quam multiplicationem? Tum denique: quia demeritum plus crescit ceteris paribus per continuationem, quam repetitio. Nec obstat contra hoc, quod in repetitione augetur magis ratio voluntarij, ratione cuius etiam crescit valor meriti. Non inquam, obstat, quia stare potest aequalis ratio voluntarij, & quia difficultas formalis, quam importat continuatio, longe superat illum excessum voluntarij, qui tantum importat difficultatem materialem.

Observa tertio non posse certam regulam tradi ad cognoscendum, qualis repetitio actus remissi, aut continuatio sufficiat ad hoc, ut valor illius moralis adaequet augmentum addendum, quia hoc pendet ex quantitate physicae actus, & augmenti cum eo collati, & ex alijs principijs, quae forte solus Deus cognoscit. Sed pro captu, & modulo nostro nonnullas regulas tradere possumus. Prima est, quod ad augendam gratiam ut quinque plus conducit unus actus intensus ut quatuor, quam quatuor actus intensi ut unum, & quam duo actus intensi ut duo, quia intensio non fit per gradus eiusdem rationis, sed per modos, aut gradus diversae rationis, ut supponimus non solum cum constanti sententia Thomistarum, sed etiam cum communiori aliorum admittentium intentionem fieri per additionem gradus ad gradum: ergo in gradu indivisibili ut quatuor eminentiori modo continetur perfectio reperta in quatuor actibus ut unum, & in duobus actibus ut duo, proindeque ille gradus augmenti, quem potest adaequare actus ut quatuor in estimatione morali, non potest adaequari per actus recensitos, sed necesse est, quod plus repetantur. Hoc liquet in auro habente quatuor gradus valoris in sua linea, quod non potest adaequari per quatuor gradus divisos argenti, nec per octo, nec per duodecim, quia ad adaequationem argenti cum auro pro vno gradu istius ut unum requiruntur quatuor gradus illius. Hoc etiam apparet in lapide pretioso habente vnicè valorem ut octo, qui magis estimatur, quam duo lapides eiusdem speciei habentes valorem ut quatuor, & quam octo lapides habentes valorem ut unum.

Secunda regula est, & deducitur ex praecedentibus.